

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica III. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

qui alias damnationi obnoxii facti essent, sicut hoc modo Petrus in prima concione Pentecostali Judæos compulit, ut appositæ sint in die illa animæ circiter tria millia, Act. 2. v. 41.

Hoc adhuc hodiè Pastorum munus est: propterea illis duæ virgæ assignantur, quarum una vocatur *amabilis*, & significat Evangelium, quod est jugum suave, Matth. 11. v. 29. illis destinatum, qui diligunt disciplinam, Sap. 6. v. 19. altera vocatur *doler*, & notat legem, quæ & sceptrum exactoris dicitur, Esa. 9. v. 4. iram enim modò operatur, Rom. 4. v. 15. estque Pædagogus ad Christum, Gal. 3. v. 24.

Utramque virgam verbi Ministri sedulo adhibeant, ut oculos obsequentes compellant per salutarem informationem, ne desperent in peccatis suis, sed per Christum resurgant, qui in mundum venit, peccatores salvare, ubi quilibet in individuo se includat, 1. Tim. 1. v. 15. Impios vero terrere debent, annunciatione iræ Dei, ut & temporalis pœnæ & æternæ damnationis, quam sibi attrahunt, nisi in tempore gratiæ revertantur, & resipiscant. Non miseretur enim omnibus Deus, qui operantur iniquitatem, Psalm. 59. v. 6.

Qui per has duas virgas non compelli potest, inveniet judicem suum tempore

judicii. Interea & triticum & zizania sinamus utraque crescere, Matth. 13. v. 30. coactione enim violenta nihil quicquam efficitur. Conscientiæ cogi non possunt. *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat inritum*, ait Theodosius Imperator. Multi quidem hoc modo efficiuntur hypocritæ, at, pauci Christiani. Quod si verò juxtà sinceram doctrinam, & vitam piam duceremus, dignè ambulantes DEO, Phil. 1. v. 9. & in sapientiâ ergà eos, qui foris sunt, Col. 4. v. 5. multò plus, quàm vi corporali effici potest, efficeremus: illi enim, qui jam detrectant de nobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus nos considerantes, glorificaturi essent Deum, per quæ ad agnitionem erroris pervenerunt, 1. Pet. 2. v. 12.

Hæc cogitate, Vos mei! & quia Deus adeò benignus est, ut non modò convivas amicè invitet, sed & servum suum in vias & sepes exire jubeat, ad invitandum quosvis, maturè vos parate, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 2. Cor. 6. v. 1. sic delectabitur in pinguedine anima vestra, Esa. 55. v. 2. habebitisque cum Christo vitam, & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

Quod Christus nobis omnibus largiatur, Amen.

DOMINICA III. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 15. v. 1. -- 11.

EXORDIUM.

Posteaquam Jacobus Patriarcha infideli socero Labano viginti annos subservierat, tandem abitum para-

bat dicens: Da mihi uxores & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: *Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam*

etiam domui meae, Genes. 30. v. 30. Nos omnes, Vos mei! per peccata in tristem servitutem redacti sumus, Diaboli mancipia facti, omnis enim qui facit peccatum servus est peccati, Joh. 8. v. 34. Verum merces pessima tandem persolvitur, nempe ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Rom. 2. v. 9. propterea meliori mente imbuti, infernali Labano servitium tuum in tempore renunciemus. Satis est nobis, quod antea acto vitæ tempore, voluntatem gentium patrauerimus, cum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, violentiis, comessationibus, comotationibus, 1. Petr. 4. v. 3. *Domui* aliquando etiam *providere nostræ* æquum est, quod anima à corpore recedens sciat, ubi habitatura sit, nempe in cœlesti Hierusalem, ubi Christus habitu suo *παιτευμα* acquisivit nobis, Phil. 3. v. 70. Verum est enim illud Chrysostomi: *Omnia nobis duplicia dedit Dominus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes: si igitur horum alterum ladatur, per alterum necessitatem consolamur: animam verò tantummodò unam dedit, si hanc perdidimus, quâ quæso vivemus?* Ideoque maximæ curæ nobis sit, ut cum Jacobo animæ domui provideamus. Quid enim prodesset homini, si universum mundum lucraretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. v. 28.

Fit hoc per seriam pœnitentiam: Sicut enim peccata nos & Deum nostrum dividunt, El. 59. v. 2. ita per pœnitentiam ipsi redummur, ut qui aliquando eramus longè, fiamus prope, Eph. 2. v. 14. nec amplius Diabolo sed Christo serviamus, in justitiâ & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ,

Luc. 1. v. 75. Egregium prostat Exemplum in publicanis & peccatoribus in prælecta Pericope: hi & ipsi infernali Labano in peccatis servierant, verum pœnitentiâ serâ ducuntur, probè enim cernebant mercedem iniquitatis suæ, cauteriatam habentes conscientiam, quâ inquietabantur, 1. Tim. 4. v. 2. idè melius provisuri domui suæ, Christo appropinquant, ut gratiam, solatium & refectioem, quam omnibus laborantibus & oneratis promisit, adipiscantur.

Videbimus nos

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

JJ.

Exegetis.

Sicut in arcâ Noë corvi & columba promissuè degebât: Ita & in Ecclesia, quæ per arcam Noë præfigurata est, reperiuntur boni & mali. *Coryvus* vocem habet odiosam, quâ semper clamat: *Cras, cras.* Ita plurimi inter Christianos occurrunt, qui tantum hunc corvinum ingeminant, & licet ad pœnitentiam stimulentur, tamen eandem malitiosè procrastinant, idè non raro fit, ut justo diutius in peccatis detenti excludantur è Regno cœlorum, ut virgines fatuæ, Math. 25. v. 11.

Columba vero vocem habet garrientem, Esa. 38. v. 14. & imago est resipiscentium, qui instar columbæ Noë revertuntur, quando diu in mundo circumvolant, & vanitatem ejus compererunt. Hinc peccatorum remissionem querentes, ingemiscunt ad Deum: Non intres in iudicium cum

vid. sup. part. 2. p. 303.

cum seruo tuo, Pſal. 143. v. 2. Pſal. 25. v. 6. Hoc gratum est Deo, ut vicissim respondeat ille: Nonne Ephraim est filius mihi carissimus? Nonne in hoc filio sunt delicta mea? Conturbata sunt viscera mea, super eum: miserans miserebor ejus, Jer. 31. v. 20.

Publicani & peccatores in prælectâ Pericope & ipsi cantum corvinum diu continuaverant, & pœnitentiam distulerant: ubi verò Christum ad pœnitentiam se vocare audiunt, & ipsi accedunt, gratiam apud eum querentes, quam & sufficienter ad animæ tranquillitatem impetrant.

Querela respicit

I. Peccatorum frequentiam, adhuc hodiè ubique obviam. Christo appropinquabant omnes peccatores & publicani. Idem hodiè tenus subindè fit, quando Christus per Ministros suos peccatores ad pœnitentiam vocat. Ecclesia etenim non omninò pura est in hac vita: Sed ut in vineâ uvæ & labruscæ occurrunt, Esa. 5. v. 3. sic & fideles cum hypocritis permixti sunt, unde non immeritò Ecclesia lilium inter spinas nominatur, Cant. 2. v. 2.

Et si verum fateri fas est, varii quoque peccatores sicut tempore Christi occurrunt. Alii palliate peccata nituntur, pertinentque ad generationem, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lora à foribus suis, Prov. 30. v. 12. Tales sunt scortatores & adulteri, invidi & hypocritæ, feneratorum & rixosi, hi si ex suggestu notentur, instar adulteræ tergent os suum, dicentes: Non sum operata malum, Prov. 30. v. 20.

Alii agnoscunt quidem iniquitatem su-

am, desperant verò de gratiâ Dei, ut Cain, Saul, Judas, aliique plures. Geminum itaque peccatum perpetrant, primò quod mandatum Dei transgressi sunt. Deinde quod Deum mendacii arguunt, non credentes, quod misericors sit, ut in verbo suo se declaravit, Jer. 3. v. 12.

Alii petulanter pergunt, suntque quasi venundati, ut faciant malum, ut de Achab dicitur, 1. Reg. 21. 25. Hi sunt Epicurei, incessabiles delicti, 2. Petr. 2. v. 14. dicentes, quando mala patrant: Non videbit Dominus, nec inteliget Deus Jacob, Pſal. 94. v. 7.

Alii quidem peccarunt sed pœnitentiam maturant, ut David, Manasse, Petrus, Maria Magdalena aliique, & hi optimi censendi sunt, 1. Joh. 1. v. 8.

Verùm rata horum messis est: Mundus enim totus in maligno positus, 1. Joh. 5. v. 7. nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus, impetu vadens ad prælium, Jer. 8. v. 6. Intereâ verbo, confessione & S. Synaxi quandoque utuntur, ut Christiani videantur, quæ de hypocritis conqueritur Deus, Matth. 15. v. 8.

Quod si verò genuinos Christianos præstare velitis, Fratres, agnoscite malitiam innatam, & ad Christum vos recipite, qui velut secundus Adam omnia restituit, quæ prior Adam deperdidit, Rom. 5. v. 20. qui enim in peccatis suis mortuus fuerit, in peccatis quoque suis resurget, auditurus cum iniquitatis operatoribus tristem illam sententiam: Non novi vos, Matth. 7. v. 23.

II. *Pharisæorum invidentiam.* Murmurabant

bant enim hi dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Talis mundi genius est, ut qui veræ pietati studet, ejus ludibrium habeatur. Si de mundo fuissetis, mundus, quæ suum erat, diligeret, Joh. 15. v. 19. Hic multi offenduntur, ut instar ineptæ calcis labascant, & ut Luna murentur, Sir. 27. v. 12. quando ex adverso alii, per Spiritum sanctum robotati, ut murus consistunt, & per adversatorum murmuraciones eò magis confirmantur & eriguntur, scientes, quod Dominus, qui in eis est, major sit, quàm qui in mundo, 1. Joh. 4. v. 4.

Cæterum multi adhuc hodiè passim murmurant. *Murmurant delicatuli*, quando peccata & flagitia seriò reprehenduntur, maxime ubi clavis ligans usurpatur, & disciplina Ecclesiastica exercetur in delinquentes, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes ipsorum, Psal. 2. v. 3. sermonem non audiemus ex te, Jer. 44. v. 16.

Murmurant Epicurei, qui peccatum illudunt, Prov. 14. v. 19. & illos, qui disciplinæ Ecclesiasticæ subjiciunt se, pro simplicibus & stultis habent, hinc vox eorum: Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, Sap. 2. v. 12. seqq.

Murmurat Pontifex cum Affectis suis, quod doceamus in Ecclesiis A. C. Deum peccatores respicientes in gratiam recipere, sine ullis eorum meritis. Id tolerare nescit, quia hoc ipso Vigiliæ & Missæ pro defunctis, peregrinationes religiosæ, vota monastica, & ejus farinæ alia superstitiosa dogmata non parùm labefactantur, & merces suas nemo emet amplius, Apoc. 18. v. 12.

Quin & ex illis non pauci *murmurant*, qui boni Christiani videri volunt, quando in

calamitates incidunt, & auxilium diutius differtur. Quare inquit, factus est dolor noster perpetuus, & plaga nostra deperabilis renuit curari? Jer. 15. v. 18.

Abstineamus hoc murmure. Quis enim Deo litem intendet? Esa. 50. v. 8. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Thren. 3. v. 39.

III. *Lapsus humani pestilentiam*, quam Christus nobis ad animum revocat, in gemina parabola quarum prima desumpta est ab ove perditâ, altera de drachma amissâ.

De oviculis Physici memorant, quod omnium animalium simplicissimæ sint. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Esa. 1. vers. 8. Ovicula vero nescit viam suam, nisi pastorem & ductorem suum habeat. Præterea nec cornibus, nec dentium & unguium vi pollet, quibus se defendere possit. Hinc Alexander M. certior redditus, quod Darius pluribus copiis instructus esset, respondit: Oves licet plures, ab uno aut altero lupo capiuntur.

Ita comparatum cum nobis est post lapsum, ut omnes, quasi oves, erraverimus Esa. 53. v. 6. nec contra truculentiam Sathanæ nosmetiplos defendere possimus, qui ut leo rugiens circuit quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8.

Hinc Ecclesia:

Nil ecce! nostris viribus,

Mox ille nos prostravit:

Nostris at est à partibus

Quo Jova nos beavit.

Si quæris ille quis?

Christus vocatur is,

Rex gloriæ summus.

Nec alter est Deus

Solus hic est invictus.

Quod verò *drachmam* attinet, ite: um illà commonemur, quinam ante lapsū fuerimus, & quorsum Diaboli fraude devenimus.

Drachma gerit inscriptionem & imaginem ejus Domini, qui ipsam cudi fecit, hinc quasi vit Christus ex Legatis, qui ipsi obtulerunt denarium, cujus est imago hæc & superscriptio? Matth. 22. v. 21.

Sicut igitur Magnates, Reges, Imperatores & Principes, imaginem suam in monetâ cudi faciunt, quò subditi commoneantur obedientiæ, quam Magistratui debent: unde in Latina lingua Moneta appellatur, à monendo, quod commonefaciat subditos officii sui ergà Magistratum: Ita Deus hominem principio ad imaginem suam creavit, ut hoc ipso Creatoris, Redemptoris & Sanctificatoris recordari, ejusque laudem celebrare debeat, ad exemplum Davidis, Psalm. 103. vetl. 1. seqq.

Sicut vero drachma amissa in angulo vel sordibus sæpè aliquot annos jacet, ubi ærugine conlumitur, & inscriptionem amittit, ut imago vel inscriptio vix agnoscat: Sic & nos ipsi per peccata in Regnum tenebrarum sub potestatem Satanæ devenimus, terrenorumque amore adeò fascinati sumus, ut imaginem cœlestem penè amiserimus, nec nos ipsos restituere valeamus, sicut nec drachma amissa se ipsam restituere potest. Christus hic succurrere nobis tenetur, qui & devotâ oratione invocandus est cum Jeremia: *Converte me, Domine, & convertar, Jerem. 31. v. 18.*

Facit verò hoc non immediatè, sed mediante verbi Ministerio, quod ideò Mini-

sterium damnationis vocatur, 2. Cor. 3. v. 9. & scopis legis drachmam mover, ut sonitum edat, & hæc occasione reperitur. Ex lege enim est agnitio peccati, Rom. 7. v. 7. ut Davidis exemplum probat, 2. Sam. 12. v. 13.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
1. *Ex querela amittentium.* Uterque enim & pastor de ove perditâ & mulier de drachma amissa sollicitus est, licet ille de ovibus nonaginta novem adhuc, & hæc drachmas novem residuas habeat.

Hoc ipso verò Servator amorem suum ardentissimum innuere voluit, quo ergà nos incensus est. Dolet enim quempiam periturum eorum, pro quibus occubuit & sanguinem suum profudit: sicut & in mundum venit, non unum atque alterum, sed omnes peccatores salvere, 1. Tim. 1. v. 15.

Nota sunt ex historiis *Titi Vespasiani humanitas, Trajani Pietas, & Alexandri M. in milites benevolentia*, quâ infirmos prolecuti sunt.

Quando Christum intuemur, ille plus adhuc generi humano præstitit. Propter salutem enim nostram de cœlo descendit, non modò ad invisendum infirmos, sed & pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 39. Propterea non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo: sed seipsum humiliavit, factus obediens Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 7. & per vulnera sua, nostra vulnera sanavit, Esa. 53. v. 5.

Quandocunque igitur quis perit, adeò dolet

dolet, ut vel denuò mori paratus sit, ut ad peccatorem desperandum dixisse fertur. Verum sufficit unica hostia, quam in odorem suavitatis Deo Patri obtulit, Eph. 5. v. 2. hanc spernentibus jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicii & ignis æmulatio, quæ contumtura est adversarios, Hebr. 10. v. 27.

II. *Ex studio requirentium.* Pastor in deserto discurret, quaritque in omnibus vepretis & dumis, allicit & investigat oviculam, dum inveniat eam. Mulier accensa lucerna verrit domum, quaritque in omnibus angulis & sordibus, dum reperiat drachmam. Utrumque Ministerio verbi convenit, quod Christus eo fine instituit, ut usque ad diem novissimum, concio de pœnitentia & remissione peccatorum in Ecclesia continuetur, Luc. 24. v. 47. unde & verbi Præcones pastores appellantur, Eph. 4. v. 11. qui oviculas suas habent, quas pascere tenentur, Act. 20. v. 28. sanguinem verò deperditum de manuum requiret Deus, Ezech. 3. v. 18.

Quod si igitur officio suo satisfacere volunt, curam gerere ovium tenentur, & quando animadvertunt, unam atque alteram in curvas peccatorum vias declinatam, Psal. 125. v. ult. omnem eos oportet movere lapidem, ut tempestivè instauretur, in Spiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. sic salvabunt animam ejus à morte, & operient multitudinem peccatorum, Jac. 5. v. ult.

Quando deprehendunt, drachmam ipsis elapsam, & verendum, ne perdat, lucernam accendant, deindè scopis legis arreptis, tamdiu verrant, dum reperiant eam. Huic muneri eos Christus destinavit, &

quidem in gratiam peccatorum, ne illi in peccatis desperent, sed per ordinaria media ad pœnitentiam revertantur, *Millies peccasti*, dicit Chrysostomus, *millies conversus ingredere, nam etiam publicanus factus est Evangelista, blasphemus Apostolus magnus, latro Paradisi colonus: Medicus noster potentior est, quam omnis infirmitas.* Solatium hinc cape, mi Christiane! habes benignissimum in cœlis Deum, qui bonæ spei fecit filios suos, se daturum locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12. v. 19. Si modò veneris, cum publicano pectus percutiens & dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. v. 14. delebuntur peccata tua, nec recordabitur amplius iniquitatum tuarum: Deus Ezech. 18. v. 22.

III. *Ex gaudia invenientium:* quod oritur

1. *In solo.* Non enim pastor modò & mulier, sed & amici & vicini congratulantur & gaudent, ovem perditam & drachmam amissam repertas esse. Sicut dietenus pii gaudia superfunduntur, quando peccator pœnitentiam agit, & ad frugem reducitur. Stolidi ergò meritò habentur, quos pudet reverti, quando aliquamdiu Diabolo in peccatis servierunt. Diaboli hæc fraus est, quâ illos captivos tenet ad obsequium suum. Peccare enim flagitium est, sed reverti gloria: & quando pii id vident, Deum celebrant, qui ex Saulo Paulum fecit, & Ecclesiam suam membro pœnitenti auxit, Act. 10. v. 18.

2. *In polo.* Nam & gaudium erit in cœlo, coràm Angelis Dei, super uno peccatore, pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.

Hoc ipsum stimulus nobis sit, ut à peccatis desistamus, & seriâ pœnitentiâ Domino obviamus, quia audimus, eo nos gaudium excitare coram Deo, beatis Angelis & electis. Deus enim expectat pœnitentiam nostram, Esa. 56. vers. 2. & venientes nos, cum lætitiâ excipit, ut pater filium prodigum, Luc. 15. v. 23.

Sancti Angeli sunt administratorii Spiritus, in ministerium emissi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis, Hebr. 1. v. ult. & sicut illi per peccata contristantur, ita ex adverso lætantur, si peccator resipiscat: & quot lacrymas ille profundit, tot júbila oriuntur in cœlo, ut Angeli cum electis Dei, qui fratres & sorores nostri sunt, Dominum laudent & celebrent, qui super nos misericordiam & fidelitatem confirmat in æternum, Psalm. 107. v. 2.

Agite proinde pœnitentiam, Vos mei! dum hodiè dicitur, & Deus lætabitur, Angeli exultabunt, & vos ipsi exultabitis lætitiâ inenarrabili & gloriosa, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, 1. Petr. 1. v. 9.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Miseriam deplora.* Ante lapsum homo nobilis drachma fuit, insignita imagine Dei, quæ consistebat in vera justitiâ & sanctitate, Ephes. 4. v. 24. In intellectu enim ejus fulgebat clarissimus Sapientiæ radius: in voluntate ejus pura voluptas & amor, ad perficienda omnia, quæ bona & Deo grata erant: cor quoque ejus mundum &

incontaminatum erat, domicilium Dei & Templum SS. Trinitatis. Corpus quoque morbis & mortalitati subiectum non fuisset, sed quando tempus à Deo definitum in Paradiso terreno consummasset, vivus in cœlum assumptus, & ita de virtute in virtutem translatus fuisset.

Verùm per peccata imago Dei, cum concreta justitia & sanctitate penitus amissa est, ut commodè huc applices illud Esaia, c. 1. v. 6.

Propterea Christi sermo hîc est, de meritis rebus deperditis, de ove perditâ, de drachma amissa, de filio prodigo. Fuimus Troës! pulchritudo nostra instar vestis detrita est amissa, & ut tenebræ lucem fugant, sic & peccatum concretam justitiam & sanctitatem expulit, ut nunc sine cognitione Dei, sine fide, caritate, & justitia in utero matris concipiamur & nascamur: quod enim ex carne natum est, caro est, Joh. 3. v. 6.

O nunquam satis lugendam miseriam! Ante felicissimi eramus, ad imaginem Dei creati, jam malis planè immersi, Diaboli imago evasimus, quam per peccata contraximus. ideo agnoscamus illud, enixè laborantes, quomodo è labyrintho hoc expediamur.

Cum Arca Dei capta esset, uxor Pinees ad eò consternabatur, ut in ipso partu occumberet, dicens: Translata est gloria ab Israel, eò quod capta est arca Dei, 1. Sam. 4. v. 22.

Nos majorem conquerendi causam habemus, quia per peccata imaginem Dei amisimus, in quâ velut in Arca fœderis, gratia, vita, & salus nobis adservata sunt, ideo non leviter æstimemus hoc, sed ingem-

milca-

miscamus in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemiscamus, Ez. 21. v. 6.

Cum Jeremias miseram populi Israelitici conditionem secum perpenderet, exclamabat: Quis dabit capiti meo aquam! Jer. 9. 1.

Quanto magis nos miseriam nostram deplem? Nostri enim periculum multo majus est, sedemus in cribro Sanae, singulis momentis ne pertranseamus, & in barathrum infernale precipitemur, metuentes. Hinc non temere optabimus: quis dabit capiti nostro aquam, ut ploremus die ac nocte peccata nostra. Quod & ipse Deus sic requirit à nobis, Joël. 2. v. 13.

Ejusmodi lacrymæ non frustrâ effunduntur. Sicuti enim filia Pharaonis videns parvulum Israeliticum vagientem, misera est ejus, Exod. 2. v. 6. sic multò magis cœlestis Pater miserabitur, quando cum fletu & lacrymis, coram facie ejus comparebimus. Iceirò non derelinquet nos orphanos, Joh. 14. v. 18. sed ut mater consolabitur, Esa. 66. v. 13. & tandem omnem lacrymam absterget ab oculis nostris, Apoc. 21. v. 4.

II. *Christo ausculta.* Exemplo sunt publicani & peccatores, qui Christo appropinquabant, ut audirent illum.

Christus erat Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. eratq; docens, *ὡς ἐξουσία ἐχων*, & non sicut Scribæ & Pharisei, Matth. 7. v. ult. Propterea certatim inlequebatur ipsum turba, ut & navem conscendere teneretur, Luc. 5. v. 1.

Quantum visigitur in cœlum adscenderit, nec ita pertranseat amplius in terris, ut in diebus carnis fecit, Act. 10. v. 38. attamen continuè per Ministros & Præcones

suos loquitur, juxta illud: Luc. 10. v. 16.

Proindè Auditores haud inviti compareant, non dubitantes, quin, si Ecclesiastes in suggestum adscendat, & Magnalia Dei annunciet, Christus ipse ad ostium stet & pulset, qui aperuerit illi januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo, Apoc. 2. 20.

Hic consilium Dei de salute nostrâ annunciat nobis, Apoc. 20. v. 27. Resistentes & refragantes illum suscipere, potest quoad animam & corpus perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28. Sicut exempla Scripturæ, contentum verbi variis modis illum punivisse, testantur,

1. *Martis inclementiâ.* Quod Judæi non modò in captivitate Babylonicâ, sed & post adscensum Christi experti, quia Christum audire noluerunt, Matth. 23. v. 27.

2. *Aquarum violentiâ.* Quod exemplum primi mundi, justitiæ Præconem Noam despicientis probat, Gen. 7. v. 23.

3. *Ignis vehementiâ,* ut Sodomitæ experti, Gen. 19. Sap. 10. v. 7.

4. *Brutorum truculentia,* 2. Reg. 2. v. 23. 2. Reg. 9. v. 39. Sir. 40. v. 35.

5. *Verbi carentiâ.* Ubi enim Judæi Christum despexerunt, exivit de templo eorum, Joh. 8. v. 59. Quod idem adhuc hodiè facit, si verbi ministri despiciuntur: tùm movet candelabrum de loco, Apoc. 2. v. 5. mittitque verbi contemtoribus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, 2. Thess. 2. v. 10.

Veri Christiani audiant Christum per ministros loquentem. Ex auditu enim fides est, Rom. 10. v. 17. quam si Spiritus S. operari debet, aures non obstruendæ sunt, sed dicendum cum Samuele: Loquere, servus tuus

tuus

taus audit, 1. Sam. 3. v. 4. sic efficacia verbi certissimè sequetur, juxta illud: Esa. 55. v. 10. seqq.

III. *Quarenti obtempera.* Hic audimus, quod seipsum Christus pastori comparat, qui de centum ovibus unam perdidit, quam quò reciperet, dimisit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniret eam.

Adhuc hodie, Carissimi! multe oves perditæ occurrunt, & optandum foret, ut de centum una amitteretur: verùm vice versa dicendum est: quòd nonaginta novem perdantur, ubi una saltem servatur.

Multi perduntur *die Dominicâ*, quando cultus Dei invisendus esset, inter officia & domestica negotia. Multi discurrunt ad *scorta*, ut Israelita ille, Num. 25. v. 6. Multi amittuntur inter *exsecratores*, quando orandum; inter *sceneratores*, quando necessitatibus Sanctorum subveniendum; inter *invidos*, quando ignoscendum proximo esset, Sir. 28. v. 2.

Id non latuit Christum. Ideò venit salvare, quòd perierat, Matth. 18. v. 11. & adhuc hodiè propitiatio illius convertentibus ad se, Sir. 17. 28. Nostrum erit, ut nos reduci patiamur, cum Davide orantes: Erravimus, sicut ovis, quæ periit, quare servum tuum, Psal. 118. v. 176.

Hoc votum, hoc desiderium nostrum

esto. Pœnitentiæ enim omnes indigemus, magis quàm Solis in cœlo, magis quàm aënis sub Luna, & magis quàm panis in terrâ. Moveat nos miseria nostra, in quam per tristem Protoplastorum lapsum incidimus.

Nullâ re ovis amissa & perditâ magis indiget, quàm ut sedulò investigetur, quia alias facilè à lupo infernali rapi potest. Quid grosso amisso magis expedit, antequam rubiginem contrahat, quàm ut accensa lucerna domus verratur, & omnino studio queratur. Hic Christus quæ perierat, fecit, & adhuc facit, per Ministros suos, qui scopis legis domum Ecclesiæ diligenter verrunt, & simul lucernam accendant, nempe lucernam Evangelii, lucernam in loco caliginoso, 2. Petr. 1. v. 19. idque eò fine, quòd ovis perditâ & drachma amissa reperiat. Beatum illum, qui obsequentem se præbet, qui enim divitias has bonitatis, & patientiæ & longanimitatis contemnit, Rom. 2. v. 4. eum Dominus tandem in irâ suâ visitabit scopabitque, in scopa exterminationis, Esa. 14. v. 23. Morigeros verò imponet in humeros suos gaudens, & perferet in Hierusalem cœlestem, & multorum millium frequentiam, Hebr. 12. v. 23. ubi non amplius aberrabimus: sed sequemur agnum, quocunque ierit, Apoc. 14. v. 4. erimusque cum Christo semper. Fiat id per Christum, Amen.

DOMI-